



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Litterae Societatis Iesv E Regno Sinarvm Annorum MDCX.
& XI. Ad R. P. Clavdivm Aquaiuam eiusd. Societatis
Præpositum Generalem**

Trigault, Nicolas

Avgvstae Vindelicorvm, 1615

Quæ ratione Sinæ Calendarium suum emendent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68733)

deinde motus habent etiam definitos atque ita sua omnia metiuntur: motus, quem soli affignant, tribus millionibus sexcentis quinquaginta duobus millibus, quadringentis viginti quinque minutis definitur. haecenus in hunc modum supputarunt, nihil aduertentes vtrum planetarum motus ita varius, annui spatij sit in eodem, an diuersis caelis, nec meminerunt vnde velocitas eorum tarditasque nascatur; ceteras etiam planetarum proprietates omnino ignorant, cum vt supra diximus praeter supputationum tabulas, ad definiendas Eclipses motusque planetarum, nullos alios libros habuerint ad nostra vsque tempora.

Quæ ratione Sinæ Calendarium suum emendent.

Ex eo quod nullam planetarum theoriam norint, sed solum eas quas nunc dicebamus supputationum tabulas, fit vt nulla neque arte, neque lege errores motuum caelestium ad veritatis normam possint redigere, qua in re fastorum Sinensium reformatio posita est; sed tamen hoc practicè faciunt in hunc modum: stylum ingentem ad perpendicularum erigunt altum octo passibus, eumque in gradus ac minuta distribunt, deinde triduo ante solstitium hybernum (à quo ipsi suas omnes obseruationes inchoant,

vt Eu-

vt Europæi ab æquinoctio verno) quotidie umbram notant, eiusque gradus ac minuta, idem faciunt post solstitium triduo, atque ita ex utrisque umbris facile intelligunt quo sex illorum die, qua hora, quo quadrante solstitium reuera fuerit, id in varijs regni partibus factitant in tribus quatuorue solstitijs nihil tempori vel sumptui parcentes, in eoque negotio maximi urbis regiæ Magistratus occupantur: Et hoc præcipuum est huius correctionis opus, nam reliquum tempus in æquandis planetarum motibus iuxta factam correctionem terunt, inque contemplandis è colle sideribus, in quo instrumenta Mathematica, sanè magnifica visuntur.

In annalibus eorum legitur fastorum Sinesium vt initio dixi correctionem quinquies supra quinquages factam; sed celeberrima fuisse fertur ea, quæ ante trecentos annos à Nobili illo Sinarum Mathematico instituta est, qui non solùm solstitium hybernium definiuit, sed locorum altitudines, quas Sinæ vix norant determinauit: & quoque Rex eo tempore Tartarus, Sinis Imperabat, ferunt eum in Tartariam ad sexaginta septem eleuati poli gradus penetrasse, ex parte verò australi ad decimum nonum, ad ortum quoque & occasum eum peregrinatum fuisse, hacque in re annos sedecim triuissse, causa verò cur hanc correctionem sui Calendarij Sinæ tanti æstiment hæc est:
in die.

in dierum electione, negotiorum quæ aggrediuntur prosperos aut aduersos euentus sitos esse arbitrantur, si facti eorum à motuum caelestium cursibus aberrarint, fieri poterit vt is dies quem facti designant reuera sit alias, isque fortasse pro fortunato sit infelix, & pro facto nefastus; quod si contigerit, regnum vniuersum necesse est perturbari: hinc videri potest quanti nostros faciant, qui rem tanti à se æstimatam credere externis non dubitarint; & fortasse Dominus hanc nostris occasionem inessit, vt hanc dierum electionem vanam esse persuadeant.

De erroribus fastorum Sinensium quos emendari necesse est.

Quapropter cum careant Epacta, numero Aureo, Cyclo solari & alijs quæ in Calendario nostro reperiuntur, fit vt tota fastorum Sinensium corrigendorum difficultas, in duobus sita sit; Alterum est in præcessione æquinoctiorum, quam Sinæ Sui cha vocant, id est, error anni, alterum in motibus planetarum probe cognoscendis, ad Eclipsium supputationem. Præcessionis æquinoctiorum meminere Sinæ, non quia asserant octauam Sphæram motu trepidationis ferri, vel quod præter primi mobilis cursum, quo rapitur, alio proprio ac repugnante feratur, sed hanc
tamea